N XIX. 29
15636/P
43981

CORONA
FLORÆ MONSPELIENSIS,

Auctore J. L. VICTOR BROUSSONET,
Monspessulano.

Pro Baccalaureatûs gradu consequendo in almâ Universitate Medicinæ Monspessulanâ.

MONSPELII,
Ex Typis JOSEPHI-FRANCISCI TOURNEL,
Univerſitatis Medicinæ Typographi & Bibliopolæ.

M. DCC. XC.

Mirabilia testimonia tua, ideo scrutata est ea anima mea.

DAVID. Ps.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

0466 – B 12

FRANCISCO BROUSSONET,

PROFES. REG. UNIVERSIT. MEDICINÆ MONSP.

ACADEM. REG. SCIENTIARUM SOCIO,

PATRI, AMICO, PRÆCEPTORI,

In æternum, pietatis, amicitiæ, gratitudinis *monumentum*,

Dissertationem suam dicavit,

Filius, Amicus, Discipulus,

J. L. VICTOR BROUSSONET,
Monspessulanus.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30364449

PROŒMIUM.

QUÆNAM rationum momenta ad coronam floræ Monspeliensis componendam, compulerint me scientiarum viam vix ingressum, explicabunt facilè, pietas in patriam, honos artis herbariæ, et ardoris in ista colenda vix umbra superstes : his altâ mente repostis, à proposito dimovere non valuerunt propriæ tenuitatis conscientia, seges immensa debili oblata messori, nec via nondum calcata, quis enim botanicas disquisitiones olim apud nostros tam acriter investigatas, nunc vero penitùs desertum floræ campum, & naturæ templum sordidè labens, quietis oculis contemplabitur ? Si floruerit botanica nostra dum vanæ garrulitati indulgens pulvere scholastico obnubilabatur ingenium humanum ; si genuini fuerint botanici veram

excolentes scientiam, undique dum irruebat turba medicorum barbara, qui in verbis superbè obscuris scientiam reponentes botanicam ut ramulum medicinæ habebant? Quâ gloriâ flora nostri sæculi incedere deberet! cum in plerisque scientiis ætas nostra summum apicem attigisse videatur. Verum incusandus est hostis ignorantiâ patrum multo magis pertimescendus, præjudicata nempè contrà rem herbariam doctorum opinio; pluribus enim herbaria scientia ut sterilis nomenclatura habetur, isti verò nequidem umbram scientiæ nostræ suspicantur; alii cognitionibus metaphisicis allecti, floram ejusque cultores spernantur, quasi vilioribus et nimis mechanicis deditos, ità ut sapienti historiæ naturalis ordine relicto, liberi in immensum imaginationis campum stultè divagantur. Repetenda vero nobis videntur præjudicia illa, tum ab amore juvenili rerum fictarum, tum eo quod requirantur indefessa sedulitas et

arduus labor, ut aliquid in re naturali proficiatur, dum in cæteris mentis errabundæ jocis vix alumnus mox magister evadit. Non exigua profecto intulere mala in artem medicam qui vividiori præditi ingenio subtiles hypoteses condiderunt, et quod deplorabilius, exemplum et tramitem monstrarunt nepotibus, qui plerumque licet à scientiâ alieni, nihilominus tamen systemata condere opulenti stilo et adornare tentaverunt. Sed animi reverentia, juniorem ariſtarchum ad amabilem scientiam revocet.

Attendenti admirationem pro certo movebit rarus naturæ speculatorum numerus, dum contemplativorum densiores turmas generant urbes et alunt, hic enim occurrunt verbosiores metaphisici qui scholastic â farragine tumentes ridiculas disputationes ineunt, immensâ mole voluminum in medium adductâ, illic poëtæ garruli trans nubes urbanas vix agros conspecti, campos amœnos grato odore fragantes et iridea

prata floribus picta pleno carmine celebrant, naturæ scrutatorem sæpissimè deridentes (1). Istos vero postmittat sonos illosque prodigo aëri committat naturæ amicus, quænam enim humana cognitio purioris scientiæ nomen historiæ naturali, maximè vero botanicæ denegabit? Quænam gratiori et comitatu opulentiori incedit (2)? Aut lætius arridebit animo tristibus obruto?

---

(1) *Poëtam audivi summè plausum qui dum carmen elegans caneret, botanicam ejusque principem ludis aggrediendo, verbum* stiles *cum verbo* pistilles (*pistils*) *ut consonum nimis licenter ponebat.*

(2) *Sic Magnolius noster in præfat. bot. Monsp.* » *Non semper circà fœdas paludes oberramus aut soles* » *æstivos, sed interdum etiam amœnissima loca lustrantes, umbram et frigus capimus, præcipua vero* » *voluptas illa quâ fruuntur plantarum amatores ex* » *ipsarum contemplatione nascitur* » *quam rectè dicebas vir in æternum celebrande quam tibi notus naturæ verus amator! temetipsum noveras.*

Recedant histrionum agmina et sileant hominum puerilia joca, unica naturæ contemplatio verum recreat philosophum, animum illius qui sublimia pertractare studet, accendit et elevat; quis verò ad hancce philosophiam magis idoneus? medicinam profitente. Sed consilio certè demirando æternæ sapientiæ, nunquam inanis et vacua naturalis voluptas, imò ad *utile* viâ *dulci* mortales pervenire decrevit, sententiam nostram demonstrarent occurrentia undique argumenta; pauca tamen potius ad rem nostram pertinentia eligam. Sit enim ab assiduâ perscrutatione historiæ naturalis, nulla redundare posse commoda in æconomiam naturalem, tum in medicinam; nonne utilissimum foret studium illud quo philiater ad severam observationem informatus, ordine methodico ad veritatem amplexandam procederet? verba ambitiosa postmittens, stilo simplici et concinno

visa et observata describens ; et sic pedetentim aptior factus qui naturalis historiæ hispidiorem ramum (dico medicinam) perscrutetur ; num alia præter botanicam rectius illum informabit ?

Nunc vero si perscrutemur auxilia à regno vegetabili medicis oblata, quantùm elucescent cognitionum floralium opes ac necessitas, de his libenter disseram, imò piaculum nobis fore arbitraremur, munera undique à floris oblata silentio premere, dum nostræ divitias illustrare conamur ! Ast immensum æquor perlustrandum refugit animus, negant vires, imperitâ manu nobis pauca delineare sat erit, ne dicamur similes illis qui « granulo eruditionis reperto stentoriè ebuccinant, leges artis proclamantes antequam naturales didicerint ».

Non recensebo vegetantia quæ majores nostri in usus medicos vocaverunt, sæpè

ridiculâ inducti analogiâ (1) à primis enim medicinæ incunabulis adeò familiaris fuit usura plantarum ad debellandos morbos, ut vegetabile regnum solum fuerit armentatorium, ex quo medentes arma desumere possent, aliorum regnorum substantiis nondum adhuc cognitis. Plures fuere qui hanc spartam ex professo coluerunt, sic *Gesnerus* (2), &c. *Sydenhamius* asserit plantas in materie medicâ palmam cæteris præripere et inveniundorum remediorum uberrimam spem facere (3) quod effatum

---

(1) *Crocus in ictero ob colorem adhibitus fuit, orchides in venere excitandâ ob figuram, et sic de multis, materiem hancce medicam non parum promovit.* Bapt. Porta neapolit.

(2) *Inter botanicos qui in perquirendis remediis in regno vegetabili sese commendarunt, eminet. Conrard.* Gesnerus, *Doctor Monspel. qui juxtà* Hallerum *multa felici eventu instituit experimenta.*

(3) Sydenhamius *præfat. oper.*

testatur cortex kinæ (1) quem laudatus vir solum specificum appellat, lignum guiaci ipecacuana, opium &c. Sed intra agros nostros oculum continemus, nonne videbimus corim monspeliensem in morbos venereos celebratum, astragalum monspessulanum antisyphiliticum juxta nonnullos, nonne venena nostri phellandrii, conii maculati, hyosciami, in remedia salutifera mutavit medicorum monspeliensium sagacitas (2), arnica montana, seu kina pauperum à clarissim. viris in febribus debellandis celebratur (3) arbutus uva ursi, vi lithrontipticâ destitutus eximias

---

(1) *Cortex peruvianus à Jesuitis in Hispaniâ translatus, curâ, Ludovici decimi-quarti in Europam abundavit.*

(2) *Cla. Profess.* Fouquet *luculentas observationes, jampridem communicavit societati regiæ scientiarum, quasque publici juris mox facturus est.*

(3) Colin. Stoll., *&c.*

tamen retinens dotes in excitando systemate uropoëtico, camphorosma monsp. adversus asthma celebratus, an merito (1)?

Qui autem plantarum utilitates in medicinâ largius cognoscere cupit, adeat amœnitates academicas *Car. Linnei* in quibus certè annotabit dotes stupendas polygalæ senega.

Præterea hoc peculiare annotabimus, quod paternâ manu divitias in vegetantibus ità profuderit naturæ dominus, ut illâ vel istâ plantâ deficiente aliæ in illorum loco sufficiantur, hinc solertia jamjam comperiit plantas indigenas quæ vices exoticarum tenere valent; in exemplum sint sequentia.

---

(1) *Habeo aquam camphorosmæ iteratâ coobatione paratam ex quadragintâ libris plantæ exsiccatæ, quæ omni prorsus principio energetico destituta gustui sese offert; hoc tantum peculiare retinet, quod nullo sapore ingrato donetur, licet decem abhinc annis fuerit parata, quid adhibito spiritu vini futurum sit experiar.*

Ipecacuanhæ succedaneæ sunt, viola odorata, canina, asarum Europeum et quædam euphorbia (1). *Cassiæ senna* sufficitur, senna italica, colutea arborescens, &c. *Convolvulo jalap.* gratiola officinalis, mirabilis jalappa. *Cinchonæ officin.* salix alba, æſculus hypocastanum, arnica montana, olea europea. *Sarsaparillæ*, Humulus lupul. Poligonum amphibium. *Resinam L. camphoriferæ* suplet camphora quæ facilè obtinetur ex oleis plantarum aromaticarum regionis nostræ ut thimi, lavendulæ, &c. (2).

Hæc longius protrahere forsan nefas esset quippe cum munificentiam botanices minus probatam supponerem in artem me-

---

(1) *Mémoire de MM. Coste et Willemet couronné à Lyon*, 1776.

(2) Neumman, *transact. philos. inprimis vero per experimenta clarissimi et magna promittentis*, D. Prout *quem Hispania honoribus et præmiis galliarum imperio recens eripuit.*

dicam ac œconomicam, dum successu dierum artes illas evexit ad gradum quo fulgent, ad gradum certè altiorem devehet si desudant naturæ scrutatores in adaugendo amabilem scientiam, confirmando quod olim dixerat *Daniel* " transibunt " multi et augebitur cognitio ".

DISPOSITIO OPERIS.

1°. *Incrementa botanices Monspeliensis.*

2°. *Bibliotheca botanico-Monspeliensis.*

3°. *Plantæ dicatæ botanicis Monspessulanis.*

4°. *Botanici Doctores Monspessulani.*

5°. *Plantæ Monspelienses dictæ.*

6°. *Plantæ olim Monspelienses.*

INCREMENTA
BOTANICES MONSPELIENSIS.

PRIMA botanices ætas cum origine artis medicæ apud nostros ita sese intricat et confundit, ut nodum hunc solvere sit difficillimum; maxima siquidem est ratio dubitandi, an botanica medicinam genuerit an vero medicina botanicam: si enim agrorum opulentia (1) soli dispositio, cœlum purius,

(1) *Monspelii agrum merito appellari hortus europæ scripsit* Linneus, *amœnit. acad.*, *vol.* 4, *diss. flore Monsp.*

Ibid. *Clematis recta et aliæ plantæ non inveniebantur Monsp. exhaustæ copiâ botanicorum decerpentium.*

D. Hebeinstreit *ex Africâ redux lucum Gramuntii videns. dixit se nullum vidisse locum divitias majores, spatio exiguo continentem.*

scientiæ vegetabilium tantopere favere valent; non mirum si campi Monspelienses primos incolas botanophillos habuerint, cum isti acutâ ingenii acie, et naturali curiositate donentur.

Cognitionum botanicarum antiquitatem probant apud nos tum nomina vernacula quibus nonnullæ plantæ designantur, et quæ nullatenus à latino fonte cadunt; tum illa, à loco fluxa, unde tot plantæ Monspelienses dictæ. Cum vero cognitiones illæ sæculorum silentio itâ premantur, ut in speculo historiæ illarum nulla fiat reflexio, de illis sat, et super dixero illarum existentiam, si probabilem posuerim, ne in re naturali ac historicâ, figmenta imaginationis secutum fuiſſe dicar.

Arabes inquisitioni plantarum maximè dediti, illas acuratiori methodo primi distinxerunt, ut in usus medicos illas traherent; dein chemici ac alchemici plantas in ſuis laboratoriis mille modis cruciarunt, alii ut aurum, isti ut dotes medicinales reperirent, unde ridiculâ medicamentorum vegetabilium farragine mox intumuerit materies medica.

Flora Monsp. gouani, continet plusquam 1800 *plantas dum flora suecica* Linnei 1140.

Iis temporibus *Arnaldus* de *Villanova* Monspessulanus, chemiæ parens, distillationis spiritûs vini inventor, plura de plantis exacta et dilucida enarravit, ut optimè adnotat *Bumaldus* (1). Annis vero sequentibus languens botanica obdormivit, illamque hâc epocha officinalem libenter appellabo, donec ad ætatem Rondeletii pervenerit, vir summus ille in alio naturæ dominio licet præclarior, attamen parens botanicæ Monspeliensis non immerito appellari potest, cum illius cognitiones botanicas, laudibus extollant *Tournefort* & *Linneus*; fuit enim primus qui Dioscoridem publicè Monspelii explanavit; qui plura in eumdem auctorem scripsit quæ nusquam ad nos pervenere (2), nemo discipulos *Rondeletii* inter optimos botanicos annumerare dubitabit, cum illorum opera etiam nunc

---

(1) *Bibliotheca botanica Antonii* Bumaldi *ad calcem bibl.* Seguierii *apposita.*

(2) *Satis apparet ex epistolis* Gesneri *ad J. et G.* Bauhin, *sic enim aïebat* Gesnerus *de notis* Rondeletii *loquendo* « *multa in his utilia*, *jucunda*, *et antea mihi* » *incognita*, *deprehensisse*, *ingenuè tibi fateor* ».

ut elementaria celebrentur ; gloriam siquidem *Rondeletii* nostri celebrem semper facient, fra:res *Bauhini*, *Clusius*, *Dalechampius*, *Pena*, *Lobel* aliique in botanices historiâ æternâ luce digni ; non prætermittemus, ichtiologici nostri animum ad investigationem scientiæ herbariæ præprimis accensum fuisse consortio *Guillelmi Pelissier* episcopi Monspeliensis qui rerum naturalium fragrans amore, naturæ historiam totis viribus promovit, adornavit ac ditavit ; doctrinam illius laudant coetanei(1), testantur notæ manuscriptæ in Plinium (2) et profecto maxima protulisset, ni bellis religioso-civilibus inhumaniter distractus fuisset ab studio-

(1) *præceptorem suum* Pelisserium, Rondeletius *appellat* in præfat. hist. pisc.

(2) Tournefort *vidit in bibliothecâ avunculi sui*, *opus* Plinii *cum nótis manu Pellisserii scriptis*, *notæ illæ diu latuerant in bibliothecâ* Peirescii. *Aderat etiam altcr* Plinius *cum notis Pellisserianis bibliothecæ patr. societ. Jesu claromontani à pellisserio donatum.*

rerum naturalium. (1) Interea vero plantarum numerus de die in diem portentosè excrescebat, simulque illarum studii difficultas, ità ut dum in agris undique dispersæ, labore quotidie renascenti erant comparandæ, Profeſsor campos perlustrans philiatris plantas solummodò medicinales indigitare cogebatur (2), nullo stanteloco quo servari, adolescere, ac nutriri possent.

---

(1) *In carcere dejectus fuit propter suspicatam religionem; evocatus divitem sibi comparavit bibliothecam, et miserrimè periit culpâ pharmacomopolæ qui catopotia quædam ex male triiâ colocyntide sumenda ægroto obtulit.*

(2) *Antiquissimæ lectiones scientiæ herbariæ probantur articulo* 7°. *Arrêts des grands jours tenus à Beziers* 1550. *Quo tenentur Profeſsores inter se eligere aptum in indigitandis plantis philiatris; nonne hortulus intra claustra scholarum inserviebat in alendis plantis quibusdam? In sententiam illam me perpulit memoria* Richerii Belleval *qui illuc asportavit pretiosiora vegetantia ut illa à devastatione obsidionali substraheret.*

Jamjam Patavii exsurgebat hortus publicus anno 1535, dum ager Monspessulanus botanophillis undique advenientibus messem uberrimam præferebat, nullum vero sanctuarium quo locupletissima flora contineretur ac propinquius excoleretur; hoc infortunio commotus patriæ parens, *Henricus Quartus* primum (1) hortum publicum instituit curâ et laboribus *Richerii Belleval*, ac ita locupletavit ut floræ nostræ honos fuerit gloria horti nascentis. Vix credi potest quâ celeritate, quâque regali munificentiâ, quo copioso plantarum apparatu sese monstraverit hortus Monspeliensis; *Richerii* genium testantur veneranda quæ supersunt vestigia; illum in exemplar proponebat clariss. *Olivier de Serres*: occurrebant hic loca aprica, hic tepidaria, hic loca montana, illic paludosa, nulla adsportabaturplanta exotica cui non occurerret in horto nostro solum natale, luxuriosè crescebat de die

---

(3) *Hortus reg. Monsp, constructus fuit anno* 1598. *Dum Parisinus anno* 1626. *Hinc non rectè* Linneus *amœnit. acad. in præmio horti upsaliensis hortum Paris. fuisse primum in galliâ.*

in diem thesaurus floræ Monspeliensis ; cum male sanæ religionis bello diruitur ac subvertitur fundi, usque periisset, ni strenuâ *Richerii* sedulitate ac zelu impavido intra scholarum claustra adsportatæ fuissent et adservatæ raræ et pretiosæ reliquiæ.

Singularem arearum, tepidariorum, aliorumque ædificorum dispositionem demirabitur qui pervolvet opera *Richérii* vel qui perleget hujusce eximii viri encomium à clariss. D. *Dorthes* publicatum ; satis nobis erit adnotare plantas in areis dispositas fuisse alphabetico ordine, unde primus incœpit ordo plantarum. Inter discipulos celebres quos habuit *Richerius* nominare sufficiat *Pisonem*, *Pilleterium* (1) &c. qui postquam præceptoris sui vices tenuit, Mildéburgum petiit, ubi gloriosè partes clinici adimplevit.

Cum *Richerii* ſuccessores ejus locum vel favore regio vel hereditario quodam jure, inconsultâ virtute recepissent, splendor horti de die in diem

---

(1) *Aquitanicas potius plantas quam Zeelandicas descripsit, cum observationibus paucis, nec multis novis stirpium historiis, nomina barbara ſunt, methodum generalem stirpium promisit et descripsit florem hiacynthi cum ſtaminibus.* HALLER, *bibl. bot.* 408.

evanuit donec illam è tenebris excuteret *Petr. Magnol*, vir in botanicorum memoriâ remansurus qui inauditâ constantiâ ac ingenii acie instructus ut licet præsidiis orbatus ad indagationem rerum naturalium accessit maximamque sibi comparavit famam, tantamque ut in scholis advocaverit viros mox in botanicâ principes futuros, inter quos stilo superbo annotabimus *Fagonem*, *Tournefortium*, *Chomel* &c. Primus ad sedes excelsiores in aulâ regum evectus amici et præceptoris non immemor illum optimis præmiis excitavit et suffecit in locum Fr. *Chycoineau* junioris adhuc, ut vices professoris botanicæ et præfecti horti Regii adimpleret (1). Botanicus noster dominium floræ pede indefesso perlustrans lynceis oculis observavit, nobisque comparavit botanicum Monspeliense, quod inter floras eximias reponet botanicorum princeps. Quâ ratione crevit supellex botanica professoris nostri, illam publicandi crevit desiderium; historiam generalem plantarum cum meditaretur *prodromum* edidit anno 1687.

---

(1) *Quis non mirabitur querelas D.* Astruc *legendo quæ scripsit circa promotionem* Magnolii *ad vicepræfecturam horti Regii.*

Historiam vero nunquam ad umbilicum perduxit. Per tempus vice præfecturæ in horto Regio cum illi facillimum foret plantarum examen et illas ad veram antiquorum synonimiam revocare aut admittere, catalogum plantarum horti Regii, sub titulo, *hortus Regius Monspeliensis* edidit tabulis rectè excisis adornavit. Non modo propter raram in rebus botanicis peritiam maximè præclara fuit *Magnolii* fama sed propter singularem illam urbanitatem qua botanistas Monspelium adeuntes excipiebat et ad herborisationes comitabatur illis indicaturus raras suæ floræ divitias; in locum *Tournefortii* illum suffecit academia scientiarum paris; novus tamen honos soli natalis amorem neutiquam extinguere valuit; ab illo desiderandas dolemus observationes in Pinacem et repetitionum censuram quam amicis promiserat, in opere posthumo inscripto *novus caracter* quod filius *Antonius* edidit demirandi veniunt conatus ingenii summi, maxima tentantis, incuriâ sœculi retardati (1).

---

(1) *Qui judicium* Astruc *circà illud opus leget scientiam botanicam judicis mox perpendet.*

Plantarum generatio ab antiquissimis (1) cognita, per longum tempus inattentè oblita, in Galliis à præclaro *Vaillant* primùm evoluta ac dilucidata fuit, hinc in Scholâ Monspeliensi immutatæ fuerunt cognitiones botanicæ, curante *Franc. Chycoineau*, *Vaillantii* disciPulo, qui præceptoris sui observationes cum opportunitas esset prosecutus est, et anno 1732 observata ac experimenta Societati reg. Scient. Monsp. communicavit phænomenaque sagaciter explanavit, methodum *Tournefortii* in horto introduxit, et historiam naturalem promovit (2) optimæ spei Cancellarius.

---

(1) *Sexuum distinctio optimè stabilitur in libro levitici cap. 19. vers. 23. « Quando ingressi fueritis terram et plantaveritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum, poma enim quæ germinant immunda erunt vobis, quarto, etc. » Vocem præputium pessimè designarc quod Moyſes dicere intendebat exustumo, interpretatores enim rebus theologicis potius quam physiologicis impensi, per vocem præputium partes generationis designare putaverunt.*

(2) Verba critica clar. Astruc *circâ* Franciscum Chicoineau, *certè repetanda sunt ab ejus inscientiâ*

Uno eodemque tempore apud nos inclaruit Doct. *Guillelm. Niſſole*, qui Parisiis in patriam redux, maximum in botanicam studium reporans indefessâ sedulitate botanicam excoluit, plantarum novarum descriptiones Societ. Paris. communicavit, frequens epistolarum commercium cum botanico litteratis instituit, agrosque monspelienses quos novis seminibus ditaverat attente perlustravit, habuit qne inde materiem operis inscripto, *appendix ad botanicum Magnolii*, quod adhuc dudùm perstat manuscriptum.

Nefas esset in catalogo botanicorum monspeliensium prætermittere non immoriturum clariss. *Sauvagesium* qui licet rebus medicis intentus commercio litterario et amicitiâ ad cineres usque servatâ cum *Linneo* conjunctissimus fuit; inter botanicos celebrabitur, cum rara et prætiosa illi debeat hortus upsaliensis, et botanici *methodum foliorum*.

Ordinem linneanum accepit hortus monspeliensis demonstrante Cancellario D. *Imbert*. Methodum

---

botanicâ, et illi ignoscendum; ignoscendum tamen forsan potius Fr. Chycoineau *existimanti se nova invenisse in curâ morborum venereorum.*

illam gnaviter edocuit sagacissimus Doctor *Cusson*, quem paucis ab hinc annis præmatura mors sustulit amicis et botanicæ cujus imperium illustrasset nova graphica descriptione umbellarum.

Varias gloria phaſes interdum habuit flora monsp. interdùm in gloria fuit; nunc nunc paucorum laboribus excollitur, inter quos eminentem non te ſilebo clar. *Gouan*, tu spes ac decus floræ nostræ; non te deterreant, vir illustrissime, flora fermè derelicta, templaque deserta, venient sæcla quibus everso rerum metaphysicarum imperio, ſevera dominabitur observatio, novisque sertis redimetur flore nostra; optatos dies properabunt indeſessa studia, votaque botanicorum nostrorum, *Amoreux*, *Bruguiere*, *Aug. Broussonet*, illorumque qui limina templi naturæ salutare gestiunt. Tu præprimis, amicissime *Dorthes*, quam per lubricas Scholarum ambages errantem, jamjam vocant plantæ vocantque oblita rura.

BIBLIOTHECA BOTANICO-MONSPELIENSIS.

Richerii Belleval, onomatologia, seu nomenclatura stirpium quæ in horto Monspeliensi recenti constructo coluntur 1598, opus mortuum, curâ *Augusti Broussonet* redivivum.

Ejusdem. Tractatus plantarum, in horto reg. Monsp. contentarum, ordine alphabetico observato quo dispositæ sunt in areis, opus manuscript. in biblioth. *D. Ant. Gouan.*

Ejusdem. Herborisations dans le Languedoc, manuscript. biblioth. *D. Gouan.*

Ejusdem. Descriptions des plantes rares et non décrites. Ex illo opere extant tabulæ æneæ optimè excisæ manu auctoris ut putat *D. Dorthes*, plures infeliciter dispersæ, quædam, sed tantum numero 185. in manus pervenere, *D. Gilibert* botanici. *D. Gouan* possidet 270 expressiones et *D. Joubert Monspess.* descriptiones cum aliis quibusdam expressionibus; opus illud a clariss.

DD. Gouan & Gilibert expectant botanici et gloria floræ noſtræ.

Æjuſdem. Hortus reg. Monſp. opus manuſcript. *bibl. D. Gouan.*

PETRI MAGNOL. Hortus reg. Monſpel. 1697. Botanicum Monſpel. 1676. Prodomus 1687. Novus caracter. plantarum 1720.

FR. B. SAUVAGES. Methodus foliorum, ſeu plantæ floræ Monſpelienſis, juxtà foliorum ordidinem ad juvandam ſpecierum cognitionem digeſtæ 1751.

ANTON. GOUAN, Hortus reg. Monſpel. 1762 flora Monſpel. 1765. Illuſtrationes et obſervat. botanicæ. Tigur. 1773.

CAR. LINNEI. Flora Monſpeliaca, *amænit.*

Catalogue des plantes uſuelles du Jardin du Roi de Montp. par M. BANAL l'aîné. Montp. 1786.

ÉLOGE DE PIERRE RICHER BELLEVAL, par M. Dorthes, Doct. Med. de Montp., couronné à la ſéance publique de 1788.

ELOGE DE GUILL. NISSOLE. *Mém. acad. des ſcienc. de Montp.*, *tom.* 2. Auctor. *Gauteron.*

ÉLOGE DE FRANÇOIS-AIMÉ CHYCOINEAU,

par Combalusier. Séance publ. de l'acad. de Montp. 1743.

Éloge de P. Cusson. Mém. acad. des sciences de Montp.

Appendix ad botanicum Monspel. *Magnolii*, auct. *Guillelm. Nissole.* opus manuscript.

Leçons de botanique faites au Jardin du Roi de Montp., par M. Imbert, recueillies par M. Dupuy des Esquilles, Maître ès-arts, ancien Etudiant en Chirurgie.

PLANTÆ DICATÆ BOTANICIS MONSPESSULANIS.

RONDELETIA. Pentandr. monog. *cor.* infundibuliformis, *caps.* 2 locularis, infera, polysperma, subrotunda, coronata *Linn. Rondeletia*, dicavit *Plumier.*

BAUHINIA. Decandr. monog. *cal.* 5 fidus, deciduus, *petala* patula, oblonga, unguiculata, *superiore* magis distante, *omnia* calyci inserta. Legumen. *L. Bauhinia. Plum.*

RICHERIA. Genus sub hoc nomine dicavit *D. Villars* dein nomen mutavit in *Berardia.* Scopoli *Bellevalia* dicavit et Doct. *Bruguiere* Monspessulanus dedit genus *Richeria.*

MAGNOLIA. Poliandr. polyg. *cal.* 3 phillus. *petala* 9 *caps.* 2 valves imbricatæ, *sem.* baccata. pendula. *Magnolia. Plum.*

NISSOLIA. Diadelph. decandr. *cal.* 5 dentatus, *caps.* monosperma, desinens alâ ligulatâ *L. Nissolia Jacquin.*

GOUANIA. Polig. monæc. hermaphr. *cal.* 5 fidus

cor. antheræ 5 sub caliptrâ tectæ, *stylus* 3 fidus. *Fructus* inferus, tripartibilis.

Masc. similis. Absque germine stigmateque. *Gouania*, *Jacq.*

Cussonia. Pentandr. dygin. *petala* trigona, *margo receptaculi.* Dilatatus in calycem 5 dentatum. L. *Cussonia Jacq.*

Sauvagesia. Pent. monog. *cor.* 5 petala fimbriata, *cal.* 5 phillus *nectar.* 5 phillum, cum petalis alternans. *Caps.* 1 locul. L. *Sauvagesia Jacq.*

Broussonetia. Genus hocce non adhuc in lucem editum, amico *Augusto Broussonet* dicavit clariss. *l'Heritier*, et mox dabit in magnifico suo opere *stirpes novæ.* Genus illud nunc adhuc appellatur *morus papirifera.* a moro distinctissimum.

BOTANICI DOCTORES MONSPESSULANI.

Mich. Nostradamus, Doct. Monsp. 1530, videtur ex operibus, coluisse botanicam.

Arnaldus de Villanova, in re herbariâ peritus juxta *Anton. Bumaldi.*

J. Bauhinus, Doct. Monsp. 1563. 1°. Plantæ a sanctis 1591. 2°. Historia plantarum 1650.

G. Bauhinus, Doct. Monsp. 1580. Notæ in Anguillaram 1593. Phytopinax 1596. Prodromus theatri 1620. Pinax 1623. Genus *Bauhinia*, fratribus dicavit *Plumier.*

Jacq. Dalechamp, Doct. Monsp. 1547. Historia plantarum 1587. *Dalechampia. Plum.*

Car. Clusius, Doct. Monsp. 1549. Plantæ hispanicæ 1576. Plantæ pannonicæ 1583. Plantarum historia 1601. Exotica 1605 *Clusia. Plum.*

Math. Lobel, Doct. Monsp. 1568. Stirpium adversaria 1570. Stirpium historia 1576. Icones 1581. *Lobelia. Plum.*

Petr. Pena, Doct. Monsp. Ejus opera cum

Lobelii mixta. *Penea*, *Lin.* (Penea, *Plum.* est polygalæ species. *Lin.*).

LEON. RAUWOLFIUS, D. Monsp. *Oriental Reisebechr.* 1583. Flora orient. per Gronov. 1755. *Rauwolſia. Plum.* (1).

CUILLELM. PISO, Doct. Monsp. Histor. brasiliæ 1648. *Pisonia*, *Plum.*

LEON. FUCHSIUS, Doct. Monsp. Errata medic. 1530. Stirpium historia 1542. *Fuchsia. Plum.*

PETR. BELLON. Iter orientale 1553. Arbores coniferæ 1553. *Bellonia. Plum.*

CONRAD. GESNER, Doct. Monsp. Enchiridion plant. 1541. Epistolæ 1577. Opera botanica 1753. Herbarum fascicul. schmidelio edente 1759. *Gesnera. Plum.*

J. RUELLIUS. Natura stirpium 1536. *Ruellia. Plum.*

G. PILLETERIUS, Monspessul., Doct. Monsp. 610. Plantarum tum patriarum tum exoticarum

---

(1) Rauwolf. *erat discipulus* Rondeletii *juxtà* Pellissier. *Appollinare Monsp.*

in Valachiâ. Zelandiæ insulâ nascentium syntagma. Mildeburgi apud Rich. schilderi 1610, *in*-8°.

J. Bapt. Chomel, Doct. Monsp. Lettres sur la botanique 1697. Plantes usuelles 1712. Plantes d'Auvergne, mém. academ. Paris 1702. *Chomelia. Jacquin dicavit.*

Guido Cresc. Fagon. *Petri Magnol*, discip. Fagonia *Lin.*

Jos. Pitton. Tournefort, Doct. Monsp. Botanicam didicit Monspel. docente *Petr. Magnol.* Instit. botan. 1694. et 1719. Flor. Paris. 1698. Voyage du levant 1717. Tournefortia *Lin. Pittonia Plum.* (Tournefortia *Pont.* est anthospermum *Lin.*).

Anton. Jussieu, Doct. Monsp. In act. societ. reg. Paris. nonnullas edidit plantas 1709. Instit. *Tournefortii* 1719,

Bernard. Jussieu, Floram Paris. *Tournefortii* auctam dedit. Fratribus, Jussiæa. *Linneus* dicavit. (Jussiæa Houstonii est manihot species).

J. Franc. Seguier, Plantæ veronicenses 1745, 1754. Bibliotheca botanica. Seguiera *Læfling.*

(Seguiera *manett.* est species gentianæ) (1).

Petr. Garidel. Historia plantar. 1717. Garidela *Tournef.*

J. Anton. Sarracenus, Doct. Monsp. Canadam peragravit. opera Dioscoridis edidit in fol. Francofurt 1598. Sarracena *Tournef.*

J. Gaspardus Lavaterus, Doct. Monsp. Tigur. Lavatera *Tournef.*

Franc. Petit, Doct. Monsp. Lettres 1710. Multa in his nova botanica dedit. Petitia *Jacquin* (2).

Fr. Bernier, Doct. Monsp. 1652. Famosis itineribus notus nonnulla circà rem naturalem edidit.

---

(1). *Clar.* Seguier *hic apponimus licet non fuerit Doct. Monsp. sed cur noster dici non poterit, dum prima rudimenta artis herbariæ apud nos accepit et excoluit.*

